



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis**

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Complectitvr Mysteria Diuinitatis, Trinitatis, & perfectionum Dei: ac  
de beneficiis eius in homines, naturalibus & supernaturalibus

**Puente, Luis de la**

**Coloniae, Anno M.DC.XII.**

Med. 26. De modo quo Deus hominis corpus formauit, & animam infudit,  
Euamq[ue] aedificauit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-38214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-38214)

## MEDITATIO XXVI.

QVA RATIONE DEVS  
hominis corpus formauerit, ani-  
mam ei infuderit, Euamque  
ædificauerit.

## PUNCTVM I.

a Gen. 2. 7.



ORMAVIT igitur Dominus  
Deus hominem de limo ter-  
ra, & inspiravit in faciem  
eius spiraculum vitæ. & factus  
est homo in animam viven-  
tem.

S. Thom. 1.  
p. 2. q. 2. a. 1.

PRIMÒ considerandum, quòd Deus Domi-  
nus noster voluerit seorsim ac distinctè re-  
ferri formationem corporis & animæ Adam;  
& quidem prius corporis, quòd est ignobilius  
vt intelligeretur, corpus & animam hominis  
non esse sicut ceterorum animalium; illorum  
enim & corpora, & animæ fuerunt ex terra  
facta: sed hominis non nisi corpus fuit ex ter-  
ra formatum; anima enim ab extra venit. Et in  
hac fide fundabimus totius vitæ nostræ decur-  
sum, tractantes corpus pro meritis, & locum  
illi suum ita assignantes, vt non solum nõ præ-  
cedat animã, sed nec illi æquetur: & propterea  
aliqui ex sanctis patribus affirmant, Deum for-  
masse corpus Adami aliquanto corpore antè  
quàm

4. Lib. Esay.  
c. 3. Genad.  
S. Chris.  
Iostat. &  
alij in c. 2.  
Gen. contr.  
S. Thom. 1.  
p. 2. q. 2. a. 4.  
ad. 3.

quàm infunderet animā, quòd facilius cognosceretur, quid illud haberet ex suo; & quā illi esset necessaria anima, quantumque bonum ex ea illi accederet. Sed ad nostrum institutū satis est, illud imaginari sine anima, sicut nūc manet cadaver post mortem. & in tali exemplari contemplari licet quantum ei debeamus, qui dat nobis animam, qua vivimus.

DEINDE perpendam, quod Deus Dominus noster, altissima sua sapientia non voluerit corpus Adami ex nihilo creare, sed formare ex terra, & ex eius pulvere aqua permixto, sicut figulus lutum facit, ex quo format vasa; vt sic homo profundius in humilitate fundaretur, videns vilem & abiectam, ex hac parte, originem, & naturā suā fragilitatem agnoscens; & porro mortalitatem, quæ ex hoc principio illi provenit.

In hac consideratione, ad reprimendum in me spiritum superbiæ, vt ait interdum sententia illa sapientis: *b quid superbis terra & ciuitas?* O superbe & arrogans, ex quo superbum ex terra & pulvere, quem vencus auferet humiliare vsque ad terram, siquidem terras.

INTERDVm verò ad reprimendas querelas, quæ exsurgunt in corde aduersus iudicia Dei, eò quòd mihi non concedat, quæ peto, dicam illud Apost. *c O homo, tu quis es, vt respondeas, & conueraris de Deo? nunquid dicit argumentum ei, qui se finxit: quid me fecisti sic?*

Septuaginta vertunt: formauit Deus hominē, puluerem accipiens ē terra.

I.

*b Eccl. 10. 9.*

II.

*c Rom 9. 20*

*an non habet potestatem figulus luti, ex eadem  
massa facere aliud quidem vas in honorem, ali-  
ud verò in contumeliam? & illud Isaia: dicit  
d Isa. 45. 6. qui contradicit fictori suo testa de samis terra.  
Dedas te ergo, anima mea, factori tuo, qui non  
faciet tibi iniuriam, si de te pro libitu dispo-  
suerit, & cum sit iustus, nihil faciet in tuum  
detrimentum, si tu non te subtraxeris eius ser-  
uitio.*

III. ALIAS vt spiritum accipiam, & ad fiduciam  
me ipsum excitem in Deum, qui me de luto  
e Isa. 64. 8. formauit, dicam illud Isaia: e & nunc Do-  
mine pater noster es tu; nos verò lutum: & fictor  
noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos.  
Ne irascaris Domine satis, vt vas confringas,  
quod formasti; qui non fecisti illud vt in ri-  
gore confringeres, sed vt integro vtereris in  
rebus obsequij tui.

IV. ALIQVANDO etiam, vt me ipsum libenter  
& cū voluptate, manibus Dei cōmittam, glo-  
riamque dem ei pro omnibus donis, quæ in  
me sunt, reuocabo in memoriam, quod dixit  
f Iero 18. 6. Ierem. ecce sicut lutum in manu figuli, ita tu  
in manu mea, dicit Dominus. O Creator piissi-  
me, gaudeo vehementer, me esse in manibus  
tuis: nam quidquid ab eis prouenerit, iucun-  
dum mihi erit: gaudeo quod posueris ghe-  
g 2. Cor. 4. 7 sauros gratiæ tuæ in vasis fictilibus, vt sublimi-  
tas & gloria sit virtutis tuæ, & non ex nobis.

DENIQUE ad omnia peccata vitanda cogitabo, illa esse, quæ vas hoc luteum confringunt, & in puluerē conuertunt, ex quo fuerat  
assim-

assumptum: quæ est sententia Dei Domini nostri, contra Adamum lata, eò quòd peccasset: *h Gen. 3. 19. Medit. 11. 1. part.*  
*h quia puluis, inquit, es, & in puluerẽ reuerteris:* quasi diceret, propterea te ex terra & puluere formavi, vt intelligeres, quòd nisi legem meã seruares, esses rediturus in terram & puluerem, ex quo te formavi. æquum est enim, vt qui contemnit extrahentem ipsum ex luto, in idem recidat, ex quo fuit extractus. O Pater amantissime, qui tantã prouidentia corpus meum è terra condidisti, concede mihi, vt ea accipiam documenta, quæ hoc tuo facto mihi tradidisti, vt corpore meo in terram reuertere, ascendat anima ad te in coelum, Amen.

PUNCTVM II.

**D**EINDE consideranda est Omnipotentia Dei, qua ex vili & crassa materia rem fecerit adeo pretiosam, atque est corpus hominis: discurrendo autem per huius operis excellentias, ad quatuor illas reducemus.

I.

PRIMA EST, quod tot habeat partes, & membra adeò varia atque distincta, quæ omnia ex eodem luto fuerunt fabricata; & nunciant etiam ex eadem materia, etiam viliori quàm luto; nisi quòd nunc ea varietas & distinctio fiat paulatim, & vna post alteram: Deus verò tunc omnes simul, & in magna perfectione confecit, propter quod ingentes ei gratias agam, obstupescens eius Omnipotentiam,

a *Psal. 34. 10*

tiam, & dicens cum Dauide: Omnia ossa mea dicent: a *Domine quis similis tibi?* O DEVS potentissime, ossa mea & caro mea, vena & arteria mea, & omnia membra corporis mei, vocem extollunt & clamant, *Domine quis similis tibi in potestate?* quis nisi tu, formare potuisset in utero vnius feminae corpus tot ossibus compactum? Audi anima mea, excellentissimae illius matronae verba, ad filios suos Machabæos: b *nescio qualiter in utero meo apparuistis: neque enim ego spiritum & animam donavi vobis & vitam, & singulorum membra non b. c. ego ipsa compegi: sed enim mundi Creator, qui formauit hominis natiuitatem, quique omnium inuenit ac dedit originem.* O si omnia ossa mea luxarentur, & martyrio afficerentur, sicut Sanctorum illorum Machabæorum, pro gloria & honore eius, qui illa mihi dedit?

b 2. *Mach. 7. 22.*c *Eccl. 11. 5.*

## II.

SECUNDA excellentia est pulchritudo & magnitudo, ac delicata huius corporis constitutio, cum factum sit ex re quadam turpi & crassa, adeoque exigua, atque est parua luti portio. Auget verò admirationem, quòd nunc triginta annos tardet corpus, ut perueniat ad debitam magnitudinem & pulchritudinem: cum in Adamo, totam habuerit in vno momento; quia eum fecit DEVS in ætate viri perfecti, ut appareat, quòd dicitur *oculus Dei, quem respicit, erigit ab humilitate, & exaltat caput eius: & facile est in oculis Dei subito honestare pauperem, & quod natura*

d *Eccl. 11. 13. 23.*

ordi.

ordine & cursu multorum annorum tempus  
requirit, id potest Deus in vno momento præ-  
stare.

III.

S. Thom. 1.

p. 93. q. 3.

TERTIA excellentia est figura eius ad e-  
nobilis & recta, cum cetera animalia omnia  
prona incedant in terram; vt ex hoc intellige-  
remus, quod quamuis facti fuerimus ex ter-  
ra, finis tamen noster non sit res terrena, sed  
coelestis, vt eò & aspectus & cor nostrum diri-  
gantur. Erubescite anima mea, quod tuis affe-  
ctionibus inclines ad terram, existens in corpo-  
re ad celum erecto. O Saluator mi, e qui solui-  
sti filiam Abrahæ à vinculo, quo eam alligauerat  
Satanas decem & octo annis, & erat inclinata  
ad terram, nec poterat sursum respicere: dissol-  
uisti & animam veram, quæ à tot annis Satan alliga-  
tam traxit, & inclinavit ad res terrenas, vt ex-  
tunc respiceret & erigatur ad res coelestes.

e Luc. 13. 16.

IV.

QUARTA excellentia est perfectio omni-  
um rerum quibus indiget, in ordine ad animam,  
quæ illud informat, supplete ipsa anima sua  
ratione defectus, qui oriuntur ex delicata eius  
complexione. quamuis enim alia animalia  
excedant nos in acumine videndi, & olfacien-  
di, in celeritate motus, & quod vestita & cal-  
losa nascantur, imò & armata variis armis  
offensivis & defensivis; hoc tamen totum in  
illis provenit ab eorum ruditate & crassitie co-  
mplexionis & naturæ, quæ delicatæ nostræ constitu-  
tioni apta non erat. anima tamē lumine rationis  
& prudentiâ, sensus corporis acuit, ac perficit;  
induit vestes & calceos; & armat suum corpus

melius

meliùs quàm animalia; prospiciente Diuina prouidentiâ, ac supplete in his omnibus defectum nostrum, ne deesset hominibus, quod bestiis non deest. Propter has omnes causas, gratias teneor agere Creatori, qui tanta suauitate disposuit fabricam mei corporis, ut esset meæ animæ habitatio. quare illum laudabo, quòd oculos mihi dederit ad videndum, & palpebras ad illos claudèdos; & caput in altu erectum, cum capillis quibus ornaretur; & sic de ceteris corporis membris.

## PUNCTVM. III.

S. Thom. 1.  
p. q. 90.

a Gen. 2. 7.

**T**ERTIÒ est considerandum, quòd Deus Dominus noster animam primi hominis ex nihilo creauerit, cuius creationem verbis illis expressit; a *inspirauit in faciem eius spiraculum vita*, ad significandum, quòd nec ipsa anima, nec vita, quam corpori impertiebat, procederet è terra, ex qua illud erat formatum; sed eam ab extra venire per Omnipotentiam Creatoris. nam ut spiritus procedit ab homine, cum respirat, est enim aer quidam, ab interiori hominis parte per os procedens; ita anima nostra procedit à Deo, cum magno eius amore, utpotè qui ex suis visceribus eam per suum os, hoc est per suum imperium educit, volens ut ita sit, nullo ei resistète. in quo apparet animæ nostræ ingenuitas & similitudo cum sapientia Diuina, quæ, ut ipsaemet dicit, *b ex ore altissimi prodii*. O anima mea,

b Eccl. 24. 5.

ma mea,



ma mea, quæ solius Dei es opus, lauda & glorifica eum, qui tibi dedit Esse, quod habes, ad eò amanter. A Deo existi: contende ergo ad eundem redire, & intra eius pectus ingredi, diligendo toto corde tuo eum, qui te dilexit.

II.

DEINDE perpendendum, quòd vocet Deus animam spiraculum vitæ, spiritum scilicet aut respirationem, quæ vitam dat rei, in quam ingreditur; ad significandum, quòd vita corporis in eo consistat, vt Deus creet, coniungatq; animam corpori, & vt semper ipsum respiret, quo possit cõseruari, ac propterea dictum est, quod inspirauerit in faciem eius, in qua præcipui sunt sensus vitæ, visus videlicet, auditus, odoratus, & gustatus, & sensus interni, & aliqua respirationis instrumenta ad vitæ cõseruationem. Ex quo colligam, quòd Deus vocauerit animam respirationem vitæ, id dictum esse ad me excitandum, vt quoties respiro, Creatoris sim memor, qui animam mihi dedit; & maximi beneficij, quo me, illam habendo, affecit; & credam, quòd sicut vita corporis pendet à respiratione animæ, ita vita & esse ipsius animæ pendeat ab inspiratione & virtute Dei: nisi enim ipse eam cõseruet, statim illa reuertetur in nihilum; ideoque par est interdum ad singulas respirationes, aliquos elicere actus amoris, aut laudis, aut gratitudinis pro hoc beneficio, vt superius fuit dictum.

III.

HINC vltterius pergam ad perpendendum horum verborum mysterium: nam vt corpus

sine

sine anima, caret vita naturali; ita anima sine gratia Dei, caret vita spirituali; & sicut Deus inspirans in faciem Adami, infudit illi animam, qua dedit illi vitam naturalem; ita inspirans Diuinam & efficacem inspirationem, infundit animæ spiritum gratiæ & charitatis, qua illi dat vitam supernaturalem; & utramque hanc vitam infudit Deus simul primo homini, cum illum creauit. Ac propterea forte scriptura, in originali lingua ait, inspirauit in faciem eius spiraculum vitarum; quia non solum dedit animam excellentissimam, à qua procedit vita vegetatiua, ut cresceret, sicut plantæ; & sensitua, ut sentiret sicut animalia; & intellectiua, ut intelligeret sicut Angeli; sed etiam dedit Spiritum sanctum, à quo procedit vita gratiæ; cum varijs exercitijs vitæ, quæ sunt in illa. & simile huic est, quod Christus Dominus noster alia c. *insufflatione* vel inspiratione *dederit suis Apostolis Spiritum sanctum*, ut suo loco expendimus. O Pater æterne, qui per os filij tui flatum producis Spiritus sancti, cuius præsentia animæ culpâ mortuæ viuificantur, renoua quæso meam eodem afflatu, frequentet me inspirationibus tuis visitans, ut viuam nouam gratiæ vitam, & in ea permaneam vsque in æternam, Amen.

## PUNCTVM IV.

QVARTO est considerandum, quòd DEVS Dominus noster paulò postquam Adamum creasset, eum deduxerit a in par adisiam

c Ioan. 20.  
22.  
s. part. Medit. 9.

a Genes. 2. 8.

*voluptatis, quem tertia die plantauerat à principio, ut esset eius habitatio. vbi perpédere licet, quàm tenera piaque sensa habuerit Adamus, quando scientiâ, à Deo sibi data, cognouit tot & tanta beneficia, quæ ab eo acceperat.*

S. Thom. 1.  
p. 2. q. 102. a. 4.

I.

PRIMUM in primo illo temporis momento, quo aperiens suos oculos, vidit pulchritudinem cœlorum cum suis stellis & planetis; & terræ elegantiam, cum arboribus, & plantis; aves quæ; & animalia, quæ in ea versabantur: manserit proculdubio suspensò animo ad rerû adeò admirabiliû nouitatem; sicut aliquis homo, qui à tẽpore suæ natiuitatis inclusus fuisset in aliqua profunda specu; in qua nihil vnquam vidisset; & post triginta tandem annos, ex illa clausura egressus, videret quæ sunt in hoc mundo, fieret extra se præ admiratione, tot mirabilium; & laudaret glorificaretque eorum Creatorem.

II.

QVID verò fecerit paulò post, cum videret se ab ipso Deo, deduci ad hortû, & paradysum deliciarû, eumque sibi dari in propriam habitationem, cum plena potestate vescèdi fructibus innumerabiliû arborum, quæ in eo erant sitæ, vnicâ tantû exceptâ? Nimirû agnoscens, hunc esse nouû erga se fauorem, nullis suis meritis præcedentibus, nec naturæ suæ debitum, sed ex mera & sola gratia Creatoris, admirâs eius bonitatem & liberalitatem locique elegantiam, proruperit sine dubio in nouas laudes, pro singulari hoc beneficio sibi collato.

III.

VIX finem Deum laudandi fecerat, cum vidit

vidit eundem Deum, suorum Angelorum ministerio, constituisse in ipsius conspectu innumeram multitudinem avium, bestiarum, & serpentiū, vt aspectu tāta varietatis & pulchritudinis creaturarum recrearetur. nam si ad eō delectat vel vnum Elephantem videre, aut aliud animal nunquam prius visum; quid effecerit videre tot simul, & agnoscere quid in vnoquoque esset! cumque videret omnia illa sibi esse subiecta, seque omnibus esse superiorem, totum proculdubio se conuerterit in sui Creatoris laudes ob immensam eius in se liberalitatem.

HAS omnes considerationes licet mihi ipsi applicare, vt eleuans spiritum à terrenis ad cęlestia, glorificem Deum, ob res in hoc mundo inferiori creatas ad vsum meum ac delicias: & aspiciens easdem nouo & recēti quodam aspectu, atque si omnino nouæ mihi essent, noua cantica laudum propter illas cantabo.

b Psal. 3. 4.

b quoniam, (vt ait Propheta) videbo cęlos tuos, opera digitorum tuorum. Mox etiam contem-  
plabor tenerrimum illum amorem, quo Dominus DEVS noster, sensim me ad cęlestem paradysum deducit, desiderans illum mihi in perpetuam habitationem dare. expendens autem admirationem illam & animi inebriationem, quos primo illo noui & superioris mundi conspectu per sentiam.

c Osee 11. 4.

c in funiculis Adam traham eos, in vinculis abietatis: funiculi Adam fuerunt innumera illa beneficia.

beneficia naturæ & gratiæ, quibus illum ligasti, & ad te diligendum tibiq; seruiendum obligasti, & ijsdem me hodie ligas & obligas; vt ego etiam diligam te, ac tibi seruiam: funiculi sunt Adami cœli cum suis stellis, mare cum suis piscibus, aër cum auibus, & terra cū plantis & animantibus: funiculi sunt Adami corpus quod mihi dedisti, cum omnibus suis membris ac sensibus; & anima, quam ad tuam imaginem creasti, cum omnibus suis potentijs. Vincula charitatis sunt gratiæ, sacramenta, inspirationes, & ipse paradysus, quem mihi promittis. O si me ardentissimo amore constringerem ei, qui tales funiculos & vincula adinuenit, quibus me ad se amandum attraheret, ita vt nunquam illa rumperem.

## PUNCTVM V.

**Q**VINTÒ est considerandum, quòd Christus Dominus noster, quamuis in auibus & animalibus terræ simul creauit vt vtrumque sexum; id tamen in homine non fecit, sed prius creauit hominē, & postea a eius *a Gen. 2.22.* costam edificauit in mulierem; vt intelligeremus, hominem non fuisse præcipuè creatum, vt generationi vacaret, sicut reliqua animantia: nam licet hoc opus in matrimonio sit bonum, & fuerit tunc necessarium ad multiplicandum genus humanum; est tamen opus valde abiectum, & homini cum bestijs commune: ideoque solum ipsum creauit, & post-

I. Part. V Med.

x

modum

modum mulierem; ut intelligeret, precipuum suum finem esse, Deo vacare, illum contemplari ac diligere, & seorsim cum eo opera illa exercere, quæ sunt Angelorum propria: Quin etiam cum eius costam Deus ædificauit in mulierem, ipse dormiebat, raptus magna extasi contemplationis, ut ex hoc etiam disceret, nec ipsum Matrimonium debere impedire orationis & contemplationis usum, sed facere quod postea dixit Apostolus, ut *b qui habent uxores, tanquam non habentes sint*, ne negligat vacare orationi. Et postquam mundus est satis propagatus, melius est ei, qui ad id uocationem à Deo habet, sine uxore uiuere solum, quam cum tali comite.

## I I.

ALIA quoque huius rei causa fuit, ut nos ad mutuam unionem per amorem excitaret, videntes quod Creator noster, ut ait Apostolus, *c Ex vno fecit omne genus hominum*; ut qui non habent nisi Patrem unum in coelo, & alterum in terra, mutuo se diligant sicut fratres, iuxta illud Malachiæ: *d nunquid non Pater vnus omnium nostrum? nunquid non Deus vnus creauit nos; quare ergo despicit vnusquisque nostrum fratrem suum?*

## III.

ALIA causa mystica fuit, ad significandum, quod sicut vnus homo solus fuit caput generis humani, in Esse naturali, de cuius costis dormientis ædificata fuit Eua; ita solus vnus homo nouus Christus IESVS, erat futurum caput omnium hominum in Esse gratiæ, è cuius latere dormientis somno mortis in

cruce.

*b. Corin. 7.  
29.*

*c. Act. 17. 26*

*d. Malach. 2. 10.*

*Matt. 23. 9.*

cruce, fluxit aqua & sanguis, figura Sacramen-  
 torum, quibus ædificatur & cōseruatur spon-  
 sa eius Ecclesia, quæ est congregatio omnium  
 fidelium. Et hæc ratio multò efficacius illos  
 permouere deberet ad colendam vnionem  
 charitatis: siquidem habent vnũ solum cre-  
 atorem, & vnũ Patrem in natura, & vnicum  
 etiam Patrem in Esse gratiæ, qui est vnicus ip-  
 sorum Redemptor & Reparator omnium ma-  
 lorum, quæ, propter peccatum naturalis Pa-  
 tris, incurrerunt. O dulcissime Creator & Re-  
 demptor noster, qui expensis tui Sanguinis  
 ædificasti e Ecclesiam, vt exhiberes illam tibi *c Ephe. 5. 27*  
*gloriosam, non habentem maculam aut rugam,*  
*aut aliquid huiusmodi imperfectionis: Appli-*  
*ca Redemptionem tuam, & misericordiam*  
*infinitam ijs, quos suprema tua Omnipoten-*  
*tia creasti, vt omnes ea fruantur, & fiat ex ijs*  
*vna Ecclesia sponsa tua; f tota pulchra,* *f Cant. 4. 7.*  
*in qua nulla sit macula, sed tu in ea*  
 regnes in æternum,  
 Amen.

